

RESP. D. M.:...secundum *exteriorem sonum*, C; secundum *sensum*, praesertim si agatur de vocibus quibus homines principalius et communius utuntur, N.—C. m.—Neg. conseq.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat aliquatenus mutare verba in quibus consistit forma sacramentalis.

Sub voce *liceat* non solum *liceitas*, sed et *validitas* formae sacramentalis praecipue intelligitur vestigandaque proponitur.—*Mutatio* autem considerari potest tum *subjective* seu secundum intentionem verba proferentis, tum *objective* seu secundum ipsam verborum significationem. Unde duo statuenda se praebent.

Conclusio 1^a.—QUI EX INDUSTRIA IMMUTAT VERRA SACRAMENTALIA NON VIDETUR PERFICERE SACRAMENTUM, NISI ALIUNDE CONSTET DE SUFFICIENTIA EJUS INTENTIONIS.

1^a *Pars* in ea ratione innititur quod ad sacramenti validitatem requiritur in ministro intentio saltem *faciendi quod facit vera Ecclesia*, ut infra ostendetur. Atqui ille qui, sciens et volens, mutat verba sacramentalia *non praesumitur* velle facere quod facit Ecclesia, propterea quod videtur velle agere contra Ecclesiam novumque ritum ab ea non receptum introducere. Ergo.

2^a *Pars* concedit intentionem mutantis consilio formam sacramentalem conciliari nonnunquam cum validitate sacramenti.—Hoc quidem evenire potest duplici modo: 1^o si minister, puta ex superstitione vel vanitate, non substantialiter, sed *accidentaliter* tantum reapse intendit mutare verba sacramentalia; 2^o si velit quidem novum in Ecclesia ritum *essentialem* inducere, sed eo errore ductus quod hanc formam suam, non aliam, in vera Christi Ecclesia legitimam reputet. Tunc enim, dummodo de facto servetur sensus formae substantialis, perficitur sacramentum.